In Obitum

ILLUSTRISSIMI GULIELMI,

Ducis Glocestriæ,

Filij Utriusque Regalis Celsitudinis Principum, *ANNÆ* & *GEORGII*

SCeptrigeris generata atavis ab origine prima,
Ingens *Anna*, tui Nuper mea Musa Mariti
Sublatum querulo deflebat carmine fratrem.
Vix has abstersit Lachrymas; nova causa redivit,
Cur udis canat illa genis & murmure mæsto,
Mors miseranda tui, Princeps Dignissima, nati,
Nuper ad undecimum vitæ qui venerat annum,
Sceptrigeræ Spes una Domus, quæ sola superstes

De septem atque decem Pueris solatia Matri
Magna suæ, Patrique dedit, Populique *Britanni*
Pectora venturi spe jam attollebat, at Eheu!
Monstrarunt Terris hunc tantum fata neque ultra
Esse dedere: truces Mortis regale nequibat
Stemma fugare manus, & inevitabile fatum.
Occidit heu tenero jam Dux *Glocestrius* Ævo.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Quam subito quondam elata in sublime ruerunt?
Quam subito lachrimas in risum Æterna Potestas
Mutare, atque hilares Lachrimis fædare Triumphos
Noverit, ante oculos exemplum flebile nostros
Exhibet; ante dies paucos, Natalia nati
Ad celebranda tui venerunt, *Anna*, frequentes
Windsoram proceres, Lætis et plausibus illum
Transivere Diem, linguis animisque faventes,

Aſt O quam ſubito mutant hæc gaudia luctu!
Nondum ex æquoreæ tollebat fluctibus undæ
Sextus ab hac ſe luce dies; cum triſtis ubique
Fama per attonitas hominum diffunditur aures,
Dux obijt, mutumque jacet ſine luce cadaver.
Hinc Patres Populuſque dolent; & Gaudia luctu
Vaneſcunt brevia illa novo: Sic cuncta Gubernans,
Ludit in Humanis Divina Potentia Rebus.
Tu Princeps tamen *Anna*, Precor, *Princepſque Georgi*
Tu Lachrimas moderare tuas; luctumque memento
Limitibus retinere tuum. Non vita reſurgit
Fletibus, aut gelidi reſeratur janua buſti.
Plus autem a fatis aliquid, quam nomen & umbra
Reſtat, in Elyſijs Fælix ille incola campis
Degit, et Ambroſiam carpit, Nectarque *Deorum*
Purpureo bibit ore; Horum et virtute ciborum

Fit

Fit deus ipſe, Anima morbi a contage remota,
Cælitibus quæ juncta comes, nunc Læta Triumphat,
Morte carens, ridetque ſui ludibria trunci,
Sub pedibuſque videns nubes, atque aurea Mundi
Sydera, Seraphicæ radiat fulgore catervæ.

Libenter Obtulit,
Gulielmus Hogæus.

F I N I S.